

accusatoribus delecti ad spem acerbitatis et relicum.

Sensus quidem multae obscuritatis est; cuius intellectus sic aperietur: Per illud tempus, cum esset alius
 5 praeter Syllam reus, qui causam de vi lege Plautia diceret, omni labore conisus est L. Torquatus, ut ante iudicum reiectio fieret ad eam cognitionem, quae de illo quoque futura erat, qui huiusmodi reatu petebatur, et hoc nimirum eo consilio et calliditate perfecit, ut melioribus et
 10 iustioribus ad illam causam iudicibus electis, qui superessent inmitiores et asperi iudices, quique ab illorum numero fuissent reiecti, de P. Sylla iudicarent pro naturae suae videlicet asperitate hunc vel innocentem damnaturi. De reo metuens orator in orationis exitu praecavet et
 15 invigilat, ut iudicibus, quorum asperitatem metuit, incutiat verecundiam, priusquam ad ferendas sententias eant, ut metuentes invidiam nimiae duritiae, si reum poenae addixerint, iam pro illo sentire cogantur. Et ne hoc ipso tamen animos eorum laederet, communicavit
 20 fortunam temporis sui et consulatus, in quo et ipse contraxerat quasi nimis acerbae severitatis invidiam dicitque in commune omnibus consulendum, ut severitatem nimiam, quam temporis necessitate susceperunt, praesenti humanitate mitificent.

25

<PRO SYLLA EXPI.>

INC. IN P. CLAUDIU-

... aput Graecos ... nominantur continentia ferme laudes et vituperationes. Non enim rei postulatur a Tullio vel C. Curio vel P. Clodius, sed quoniam habuerant
 30 in senatu quandam iurgiosam decertationem, visum Ciceroni est hanc orationem conscribere plenam sine dubio et